

NAVAGERO (Andrea)

LUSUS PASTORALES (993 vers)

Andrea NAUGARIUS

- L_1 v.1 Aspice, magna Ceres, tibi quos semente peracta
 2 ducimus agrestes, rustica turba, choros.
 3 Tu face, ne nimio semen putrescat ab imbre,
 4 neu sulcos rapido frigore rumpat hiems.
 5 Neu sterilis surgat silva infelicis avenae,
 6 et quaecumque bonis frugibus herba nocet ;
 7 neu terrae prostrata animosi flatibus Euri
 8 decidat aut densa grandine laesa seges ;
 9 neu direpta avidae rapiant frumenta volucres,
 10 monstrave, quae terrae plurima saepe ferunt.
 11 Sed quae credidimus bene cultis semina campis,
 12 uberius largo foenere reddat ager.
 13 Sic erit. Interea nivei carchesia lactis
 14 fundite et annoso mella liquata mero,
 15 terque satas circum felix eat hostia fruges,
 16 caesaque mox sanctos corruat ante focos.
 17 Nunc satis haec. Post messem alii reddentur honores,
 18 et sacras cingent spicea sarta comas.
- L_2 v.1 Aurae, quae levibus percurritis aera pennis,
 2 et strepitis blando per nemora alta sono,
 3 sarta dat haec vobis, vobis haec rusticus Idmon
 4 spargit odorato plena canistra croco.
 5 Vos lenite aestum et paleas sejungite inanes,
 6 dum medio fruges ventilat ille die.
- L_3 v.1 Ille tuus, Pan montivage, venator Iolas
 2 suetus in audaces cominus ire feras,
 3 a quo et adhuc rictusque suum, exuviasque leonum
 4 sacra tibi agrestis munera pinus habet,
 5 nunc jam annis gravis haec devicti cornua cervi
 6 dedicat, imbelli congrua dona seni.
 7 Cum tamen Herculeae facta inter fortia clavae
 8 is quoque sit laudem visus habere labor,
 9 Tu, dive, haec inter viridis decora illa juventae
 10 suscipe, neve illis esse minora puta.

- L_4 v.1 Hanc vitem, multa quae semper fertilis uva
 2 haud unquam domini fallere vota solet,
 3 nunc etiam large florentem, consecrat ipse
 4 vineti cultor Damis, Iacche, tibi.
 5 Tu face, dive, tua haec spem non frustretur, et hujus
 6 exemplo fructum vinea tota ferat.
- L_5 v.1 Longius a pecore errantem per devia taurum
 2 dum sequitur nemorum per juga longa Lycon,
 3 errantem scopulo capream conspexit ab alto :
 4 continuo certo deicit hanc jaculo.
 5 Mox etiam catulos sola sub rupe jacentes
 6 invenit : hos Crocali donat habere suae.
 7 E caprea in viridi statuit convivium luco,
 8 addidit et veteris pocula multa meri.
 9 Quod reliquum est, Pan semicaper, cum cornibus ipsis
 10 suspensum e pinu hac tu tibi tergus habe.
- L_6 v.1 Quod tulit optata tandem de Leucade Thyrsis
 2 fructum aliquem, has violas dat tibi, sancta Venus.
 3 Post sepem hanc sensim obrepens, tria basia sumpsi :
 4 nil ultra potui, nam prope mater erat.
 5 Nunc violas, sed plena feram si vota, dicabo
 6 inscriptam hoc myrtum carmine, diva, tibi.
 7 "Hanc Veneri myrtum Thyrsis, quod amore potitus,
 8 dedicat, atque una seque suosque greges."
- L_7 v.1 Et quercum et silvam hanc ante omnia Thyrsis amabit,
 2 et certo feret his annua vota die,
 3 dum poterit memor esse, quod hac primum ille sub umbra
 4 ultima de cara Leucade vota tulit.
- L_8 v.1 Venator celerem maerens Augona Melampus
 2 confossum rapido dente ferocis apri,
 3 hac illi in ripa tumulum, frondente sub umbra,
 4 erigit : hoc ipso concidit ille loco.
 5 Non impune quidem praedo sceleratus abivit :
 6 procubuit jaculis caesus et ore canum.
 7 Tu tamen e cunctis canibus praestantior Augon,
 8 fide Augon, silvis qui modo terror eras,
 9 tu, dilecte, jaces. Sed ab alta hac fascia pinu
 10 millusque, et millo vincula juncta suo,
 11 quin decisa feri cervix tibi pendeat hostis,
 12 sintque una ex animo signa dolentis heri.
- L_9 v.1 Et gelidus fons est, et nulla salubrior unda,
 2 et molli circum gramine terra viret,
 3 et ramis arcent soles frondentibus alni,
 4 et levis in nullo gratior aura loco est,
 5 et medio Titan nunc ardentissimus axe est,
 6 exustusque gravi sidere fervet ager.

7 Siste, viator, iter : nimio jam torridus aestu es,
 8 jam nequeunt lassii longius ire pedes.
 9 Accubitu langorem, aestum aura, umbraque virenti,
 10 perspicuo poteris fonte levare sitim.

L_10 v.1 Ante canes omnes pastori carus Amyntae
 2 nuper ab Illyrico litore missus Hylax,
 3 dum solitas agit excubias et septa tuetur,
 4 nec vigilant socii cetera turba canes,
 5 qua rapidus se se media inter saxa Timavus
 6 mergit et inde iterum prosilit amne novo,
 7 ille quidem saeva vitulos tutatus ab ursa est ;
 8 ipse sed ingenti vulnere caesus, obit.
 9 Constituit viridi tumulum de caespite Amyntas :
 10 haec voluit raram praemia habere fidem.
 11 Maesta gemunt armenta, mali furesque lupique
 12 extincto hoc sibi jam cuncta licere putant.

L_11 v.1 Dat Cereri has Teleson spicas, haecserta Lyaeo,
 2 haec nivei lactis pocula bina Pali.
 3 Pro quibus arva Ceres, vites fecundet Iacchus,
 4 sufficiat pecori pabula laeta Pales.

L_12 v.1 Cum primum clauso pecus emittetur ovili,
 2 urbs, mea Leucippe, cras adeunda mihi est.
 3 Huc ego venalemque agnum centumque, Chariclo
 4 ipsa mihi mater quae dedit, ova fero.
 5 Afferri tibi vis croceos, niveosque cothurnos ?
 6 Anne colum, qualem nata Lyconis habet ?
 7 Ipse feram quae grata tibi. Tu basia junge,
 8 gaudia, Leucippe, nec mihi grata nega.
 9 Cras, ubi nox aderit, odiosae elabere matri,
 10 hasque inter corylos ad tua dona veni.

L_13 v.1 Illi in amore pares, vicini cultor agelli
 2 Thyrsis, cumque suo Thyrside fida Nape,
 3 ponimus hos tibi, Cypri, immortales amaranthos
 4 liliaque in sacrasserta parata comas :
 5 scilicet exemplo hoc, nullo delebilis aevo
 6 floreat aeternum fac, dea, noster amor.
 7 Sit purus, talisque utriusque in pectore candor,
 8 in foliis qualem lilia cana ferunt.
 9 Utque duo hi flores serto nectuntur in uno,
 10 sic animos nectat una catena duos.

L_14 v.1 Candida Niconoe, viduae spes una Terillae
 2 montivagas jaculo figere certa feras,
 3 hunc tibi silvipotens arcum, Latonia, ponit,
 4 atque haec in pharetra condita tela sua.
 5 Illam cara parens tenero sociavit Icasto,
 6 ignotique jubet jura subire tori.

7 Tu, dea, si silvis aegre discedit ab altis,
 8 si lacrimans coetus deserit illa tuos,
 9 tu bona sis, felixque illi : tu nomine dextro
 10 optata laetam fac, dea, prole domum.

L_15 v.1 Quae duo fert collis fecundi vinitor Acmon
 2 expressi primum cymbia plena meri,
 3 haec avidis musti satyris mustique parenti
 4 dat jucunde tibi vitis, Iacche, sator.
 5 Illi illaesa suis linquant vineta rapinis,
 6 tu tua fac largis auctibus uva fluat.

L_16 v.1 Has, Vulcane, dicat silvas tibi villicus Acmon :
 2 tu sacris illas ignibus ure, pater.
 3 Crescebant ducta e Stati propagine silvis,
 4 jamque erat ipsa bonis frugibus umbra nocens.
 5 Ure simul silvas : terra simul igne soluta
 6 fertilior largo fenore messis eat.
 7 Ure istas : Phrygio nuper mihi consita colle
 8 fac, pater, a flammis tuta sit illa tuis.

L_17 v.1 Jam telas calathosque omnesque perosa labores,
 2 quos vitae quaestus pauperioris habet,
 3 Palladio radium cum templo appenderet Euphro,
 4 jamque sequi Venerem constituisset, ait :
 5 "Hactenus o mihi culta, vale dea ; et haec tua multi
 6 instrumenta tibi plena laboris habe.
 7 Jam tua perpressam dudum mala, lenis habebit
 8 adjungetque suo me Cytherea choro.
 9 Nec mirum, quam praetulerit Phryx arbiter, a me
 10 si praelata tibi nunc quoque Cypris erit."

L_18 v.1 Dum furit Alcippes forma Nonacrius Almo,
 2 crudeli demum tabe peresus obit,
 3 Almo capripedi non impar arundine Pani,
 4 quo nullus nymphis gratior Arcas erat.
 5 Spargite odorato, pastores, flore sepulchrum,
 6 et simul infusum lacque merumque fluat.
 7 Non jacet ille sub hac (ut vos male creditis) ulmo :
 8 in nemus Idalium transtulit alma Venus.
 9 Hic Veneris pascitque greges, cantatque : canentis
 10 una adstant Charites versibus, adstat Amor.
 11 Quin etiam hunc Paphii nymphe non ultima coetus
 12 deperit, et parilis fervor utrumque tenet.
 13 Nimirum felix Almo : modo perfida virgo
 14 aspera saevitiae det documenta suae.
 15 Pastoris pereat succensa informis amore,
 16 respuat assiduas surdior ille preces.
 17 Praebeat hinc saevis tam dura exempla puellis,
 18 formosa ut fastus discat habere modum.

ACON

L_19 v.1 Candida nympha olim, et Pani dilecta Lyceo,
 2 Crinibus et culto conspicienda sinu,
 3 nunc vox, flebilibus quae semper maesta querelis
 4 desertos scopulos deviaque antra colis,
 5 salve, Echo officiosa. Tibi sub rupe cavata
 6 ipse ego lanigeri ductor Acon pecoris
 7 constituam umbrosum frondenti ex ilice lucum,
 8 molliaque ex hedera sarta virente feram.
 9 Tu levibus allecta modis silvestris avenae
 10 excipis e summo carmina nostra jugo ;
 11 tu, quoties querimur, duros miserata dolores
 12 nescio quid tristi flebile voce gemis.
 13 Nec mirum, quod tu lacrimis movearis amantum :
 14 perdidit, infelix, te quoque durus Amor.
 15 Ah misera, ipsa quidem et strophio subnectis olenti,
 16 et longa molles excolis arte comas.
 17 Ipse puer cultus, ipse omnes odit amores,
 18 insequiturque vagas per juga summa feras.
 19 Quin humiles addis voces, et verba precantis
 20 effugit, atque omnes negligit ille preces.
 21 Siste gradum, immitis : non te violenta leaena,
 22 non curvo sequitur dente timendus aper,
 23 sed quae candenti facie niveisque papillis
 24 vel magno possit nympha placere Jovi.
 25 Haec aget et celeres tecum per saxa Lacaenas,
 26 eque suis tendet retia rara plagis.
 27 Siste gradum, immitis : et quas nunc tendis ad undas
 28 effuge : causa tuae fons erit ille necis.
 29 Heu miserande puer, tales ten solvere poenas,
 30 ten decuit tam crudelia fata pati ?
 31 Magna parens, quae cuncta leves producis in auras,
 32 totaque diverso germine picta nites,
 33 quae passim arboribus, passim surgentibus herbis
 34 sufficis omnifero larga alimenta sinu,
 35 excipe languentem puerum moribundaque membra,
 36 aeternumque tua fac, dea, vivat ope.
 37 Vivet, et ille vetus Zephyro redeunte quotannis
 38 in niveo candor flore perennis erit.
 39 Tu mecum socias, Echo, conjunge querelas,
 40 et percussa novis fletibus antra sonent.
 41 Crudelis Telayra, meos quid spernis amores ?
 42 Quid miseris surda despicias aure preces ?
 43 Hei mihi, nulla ovium tangit me cura mearum,
 44 ex quo me iste tuus, perfida, torret amor.
 45 It miserum pecus, et seri sub vesperis umbras
 46 per se ipsi redeunt in sua tecta greges.
 47 Nec mihi jam niveo complent mulctralia lacte,
 48 densaque permissio vellere terga gerunt.
 49 Quin etiam aucupii studium, quo clarus habebam,
 50 languenti penitus excidit ex animo.
 51 Ite leves passim silvis impune, volucres :
 52 cuncta novus nostra e mente fugavit amor.
 53 Otia agunt pedicae, et lento lita vimina visco,
 54 in tenebris amites, nexaque lina jacent.

DAMON

L_20 v.1 Vos mecum e vitreis, nymphae Naucelides, antris,
 2 vos mecum viridi paulum considite in herba,
 3 atque hoc, quem canimus, dignum concedite carmen.
 4 Sic vobis patrias circum vernantia ripas
 5 prata, neque hibernis nivibus viduata neque aestu,
 6 sufficient varios inserta nitentia flores.
 7 Quis dolor, o silvae, quae vos, o prata, tenebat
 8 maestities ; quanto squalebant omnia luctu,
 9 cum ferus e gelidis descenderet Alpibus hostis
 10 assidue, et Latias in praedam verteret oras ?
 11 Tum (reor) invita creverunt pabula terra,
 12 invitae e densis ceciderunt frondibus umbrae.
 13 Quippe abigi raptas pecudes, passimque videbant
 14 pastorum rapidos tectis involvier ignes.
 15 Ipsi etiam hircipedes Fauni, Satyrique bicornes,
 16 ipsae etiam in solos Nymphae fugere recessus,
 17 et se se ignotis occultavere latebris.
 18 Et furor is fines prope jam pervaserat omnes,
 19 jamque fugae deerat nobis locus, undique saevos
 20 cernere erat latis hostes discurrere campis.
 21 Nulla usquam tam secretis lustra abdita silvis,
 22 nulla aditu est tam difficili, tamque invia rupes,
 23 quo non saepe greges subitis incursibus acti
 24 fessa reclinarint in nudo corpora saxo.
 25 Et tamen hinc etiam crebri ejecere tumultus,
 26 insuetaque maris pecudes (miserabile visu),
 27 qua pelagi mediis iter intercluditur undis,
 28 Adriacos videre sinus, et litore curvo,
 29 pro viridi cytiso, pro molli graminis herba,
 30 et spinis paliuri et acuta carice pastae,
 31 potarunt salsas nitidis pro fontibus undas,
 32 et saepe irati timuerunt murmura ponti.
 33 Quod si non novus ex alto demissus Olympo,
 34 hanc cladem nostris deus avertisset ab oris,
 35 Ausoniis esset nullus jam pastor in agris.
 36 Nos miseri patria extorres, rerum omnium egeni,
 37 ah dolor, externas longe erraremus ad urbes.
 38 Hic nobis dulces saltus, hic pascua nota
 39 restituit : "Tutique," inquit, "jam pascite tauros :
 40 jam solitas tuti collo suspendite avenas,
 41 et desueta diu responsent carmina colles."
 42 Ergo omnes, veluti et Phoebus Panique, quotannis
 43 pastores certis statuent tibi sacra diebus,
 44 magne pater, nostrisque diu cantabere silvis.
 45 Te rupes, te saxa, cavae te, maxime Iuli,
 46 convalles, nemorumque frequens iterabit imago.
 47 At vero in nostris quaecumque in saltibus usquam
 48 quercus erit, ut quaeque suos dant tempora flores,
 49 semper erit variis ramos innexa coronis,
 50 inscriptumque geret felici nomine truncum.
 51 Tum quoties pastum expellet, pastasve reducet
 52 nostrum aliquis pecudes, toties id mente revolvens,

53 ut liceat factum esse tuo, pater optime, ductu,
 54 nullus erit, qui non libeat tibi lacte recenti,
 55 nullus erit, qui non teneros tibi nutriat agnos.
 56 Quin audire preces nisi dedignabere agrestes,
 57 tu nostra ante deos in vota vocaberis omnes.
 58 Ipse ego bina tibi solemni altaria ritu
 59 et geminos sacra e quercu lauroque virenti
 60 vicino lucos Nauceli in litore ponam.
 61 Hic ripa passim in molli viridante sub umbra,
 62 vere novo dum floret ager, dum germinat arbos,
 63 dum vario resonant volucrum nemora avia cantu,
 64 annua constituam festis convivium ludis.
 65 Ductores pecudum hic omnes, rurisque coloni
 66 contendunt jaculo et rapidi certamine cursus,
 67 horridaque agresti nudabunt membra palaestra.
 68 Ipse pecu et tenero victor donabitur haedo.
 69 Praeterea dulci cantabit harundine Damon
 70 carmina, quae puerum docuit Sebetheius Aegon.
 71 Olim cum procul hinc illis habitaret in oris.
 72 Scilicet ut quondam Assyrii pastoris amore
 73 capta dea, et caelum et fulgentia sidera linquens,
 74 omnibus his cari praeferret Adonidis ignes.
 75 Fortunate puer, tecum formosa Dione
 76 una tondet oves, una ad mulctralia ducit,
 77 atque immunda premit caelestibus ubera palmis.
 78 Dum te complexu teneat, non illa recusat
 79 tecum inter pecudes vili requiescere culmo.
 80 At Mars ipse deae cura tabescit inani.
 81 Fortunate puer, mediis pecus errat in agris :
 82 tu, viridi dejectus in umbra, aut carmina cantas,
 83 aut posita in Veneris gremio cervice recumbis.
 84 Illa tibi amplexus molles, illa oscula jungit,
 85 caraque odoratis exornat tempora sertis.
 86 Sed tu nimirum, sed felix tu quoque, Damon,
 87 cui licuit toties Aegonem audire canentem,
 88 divinique senis sacros ediscere cantus.
 89 Quod mihi, magne pater, divum si fata dedissent,
 90 o quales tibi cantaret mea fistula laudes !
 91 Et quodcumque tamen felix concedet Apollo,
 92 Hoc te unum canet, hoc uni tibi serviet omne.
 93 Nec quidquam magis optarim, quam digna triumphis
 94 posse tuis, videorque canens tua maxima facta,
 95 inferior nullo, non ipso Aegone futurus.
 96 Ipse suo certet mecum si carmine Daphnis,
 97 ipse suo Daphnis cum carmine victus abibit.
 98 Interea, agrestis dignatus sibila cannae,
 99 dexter ades nobis, et quae facis, otia serva.

L_21 v.1 Florentes dum forte vagans mea Hyella per hortos
 2 textit odoratis lilia cana rosis,
 3 ecce rosas inter latitantem invenit Amorem
 4 et simul annexis floribus implicuit.
 5 Luctatur primo, et contra nitentibus alis
 6 indomitus tentat solvere vincla puer.
 7 Mox ubi lacteolas et dignas matre papillas

8 vidit, et ora ipsos nata movere deos,
 9 impositosque comae ambrosios ut sensit odores,
 10 quosque legit diti messe beatus Arabs :
 11 "I," dixit "mea, quaere novum tibi, mater, Amorem ;
 12 imperio sedes haec erit apta meo."

L_22 v.1 Nox bona, quae tacitis terras amplexa tenebris
 2 dulcia jucundae furta tegis Veneris,
 3 dum propero in carae amplexus et mollia Hyellae
 4 oscula, tu nostrae sis comes una viae.
 5 Neve aliquis nostros possit deprendere amores,
 6 aera coge atras densius in nebulas.
 7 Gaudia qui credit cuiquam sua, dignus ut unquam
 8 dicier illius nulla puella velit.
 9 Non sola occultanda cavis sunt orgia cistis,
 10 solave Eleusinae sacra silenda deae.
 11 Ipse etiam sua celari vult furta Cupido,
 12 saepius et poenas garrula lingua dedit.
 13 Una meos, quos et miserata est, novit amores,
 14 officiis nutrix cognita fida suis :
 15 haec quae me foribus vigilans exspectat in ipsis,
 16 inque sinum dominae sedula ducit anus.
 17 Hanc praeter, tu sancta, latent qua cuncta silentque,
 18 tu, dea, sis flammae conscia sola meae,
 19 quaeque libens adstat nostrorum testis amorum
 20 nobiscum tota nocte lucerna vigil.

L_23 v.1 Oppositae obstabant nostris prius auctibus aedes,
 2 nec nos caelum ulla, solve juvabat ope :
 3 disjectis herus his, solemque admisit, et aura
 4 concessit nobis liberiore frui.
 5 Hinc nos in tenues certatim tollimur auras,
 6 ornaturque novae frondis honore caput.
 7 At tibi, cui sacris Musarum et Apollinis umbris
 8 extractas libuit posthabuisse domos,
 9 perpetuo similes nostris sint frondibus anni,
 10 nobiscum augescant et tibi cuncta bona.

L_24 v.1 Quem toties vixisse anima redeunte renatum
 2 mutato fama est corpore Pythagoram,
 3 cerne iterum ut docti caelo generatus Asylae
 4 vivat, ut antiquum servet in ore decus.
 5 Dignum aliquid certe volvit : sic fronte severa est,
 6 sic in se magno pectore totus abit.
 7 Posset et ille altos animi depromere sensus,
 8 sed veteri obstrictus religione silet.

L_25 v.1 Jam tristi canos glacie concreta capillos
 2 afflatu tepidi fugit hiems Zephyri.
 3 Jam nitidum os ver molle auras in luminis audet
 4 proferre, et teneros ferre per arva pedes ;
 5 tempora diversis tollens halantia sertis

6 purpureo matris Chloridos e gremio,
 7 summittit varios tellus fecunda colores,
 8 convertit molles quo puer ipse gradus ;
 9 et passim, quacumque vagos deflectit ocellos,
 10 diffugiunt toto nubila cuncta polo.
 11 It prope, et incutiens blandas in pectore flammam,
 12 omnia jucundo accendit amore Venus.
 13 Quam circum vario texunt e flore coronas
 14 perfusae Assyrio rore comam Charites.
 15 Hinc atque hinc mille aligeri pueri assultantes
 16 coniciunt certa spicula acuta manu.
 17 Concipiunt dulces animalia cuncta calores,
 18 persultantque vagi pabula laeta greges.
 19 Ipse suam de colle canens Amaryllida pastor
 20 pascentes tenui carmine mulcet oves,
 21 percussaque nova dulcedine corda volucres
 22 dant laetos passim per nemora alta sonos.
 23 Sola gemit, ramoque sedens miserabilis alto
 24 absumptum mater Thracia plorat Itym.
 25 Di bene, quod nostrae tam longe a finibus orae
 26 exactum hoc dira est in regione scelus.
 27 Heu puer infelix, matri dum bracchia tendit
 28 assueto cupiens se implicuisse sinu,
 29 illa ferox animi, caecoque agitata furore
 30 avulsum duro diripit ense caput.
 31 Quid facis, ah demens ? Ferro quem perdis iniquo,
 32 is lac dulce tuis hausit ab uberibus.
 33 Huic tu longinquam votis optare senectam,
 34 huic solita es teneras dicere blanditias.
 35 Heu miserum, genitor nati infelixque sepulcrum,
 36 ut tibi nunc toto pectore sensus abit,
 37 infandae nosti cum conjugis impia facta
 38 atque epulas mensis tristibus appositas !
 39 Nempe furis, strictoque ruis violentior ense,
 40 sed sublata alis effugit illa novis.
 41 Perpetuum fleat, ut merita est, longisque querelis
 42 antiqui poenas persolvat sceleris.
 43 Nos, Turri, dum florifero vere omnia rident,
 44 spirat et e summis gratior aura jugis,
 45 nos hic, qua nitida pellucens rivulus unda
 46 labitur et leni murmure dulce sonat,
 47 cantemus molles formosae Amathusidos ignes,
 48 quidque ferox arcu, quid face possit Amor.
 49 Armenias domat hic tigres, saevasque leaenas ;
 50 eripit hic summo, cum libet, arma Jovi.
 51 Hoc duce pallentes umbras Oeagrius Orpheus,
 52 tristiaque horrendi limina regis adit,
 53 nec timuit saevaeve Hecates immania monstra,
 54 armatasve atris Eumenidas facibus.
 55 Hoc cogente, omni cum pectore consternatus
 56 abrupto nollet vivere conjugio.
 57 Paulatim Eurydices veterumque oblitus amorum,
 58 in Calaim tota mente Boreiadem
 59 exarsit, penitusque insano perditus igne
 60 sensit ferventes intima ad ossa faces.
 61 Formose o Calai, pulchrae genus Orithyae,

62 te virides silvae, te cava saxa sonant.
 63 In te suspirat, solum te cogitat Orpheus,
 64 per te sollicito nulla quies animo est.

L_26 v.1 Dum te blanda tenent aestivas rura per umbras,
 2 deliciis nimium rura beata tuis,
 3 ecqua tui, mea lux, tangit te cura poetae,
 4 an meus e toto pectore cessit amor ?
 5 Cessit amor certe, soliti cessere calores :
 6 absentis meminit nulla puella viri.
 7 Non ita concussae versantur in arbore frondes,
 8 cum gravis adversum verberat aura nemus,
 9 quam facile instabilem permutat femina mentem,
 10 exclusus queritur, qui modo carus erat.
 11 Non sic Penelope, non sic Capaneia conjunx
 12 antiqui meruit temporis esse decus.
 13 Altera defuncti maerens ad busta mariti,
 14 noluit abrepto vivere sola viro.
 15 Altera bis denos potuit durare per annos,
 16 dum cupidos cauta detinet arte procos.
 17 Femina nunc varias tantum connectere fraudes
 18 novit, et in nulla certa manere fide.
 19 Quid queror haec demens ? Durae procul ite querelae,
 20 ite : decent tristes tristia verba viros.
 21 Laetus ego : hos neque enim sequitur mea Gallia mores,
 22 mutare incertos nec solet illa toros.
 23 Quin et mansit amor, soliti mansere calores :
 24 absentis meminit nostra puella viri.
 25 Multa tamen timeo : tu multa ignosce timenti.
 26 Hei mihi, pars nostro nulla timore vacat.
 27 Ah quoties vereor, dum picta per arva vagaris,
 28 dum rutilae tewis florida sarta comae,
 29 ne ruat e summis in te Saturnius astris,
 30 sisve alii cuivis grata rapina deo.
 31 Pressit Amymonen mediis Neptunus in arvis,
 32 dum premeret summum virginis urna caput.
 33 In mediis Io campis perpessa Tonantem est,
 34 horridaque hirsuta cornua fronte tulit.
 35 Hinc quoque Tartareo raptam Deoida curru
 36 abstulit infernus in sua regna pater.
 37 Sidonis errabat nitidos Europa per agros,
 38 cum medium ficto per mare vecta bove est.
 39 Non tamen hos tantum causantur prata timores :
 40 hei mihi quam multos dat quoque silva metus.
 41 Hic habitant Satyrique, et agrestia numina Panes,
 42 et timor errantum Faunus Hamadryadum.
 43 Hic versa in virides Daphne Peneia frondes,
 44 hic fera mutato Parrhasis ore fuit.
 45 Hic et semicaper sprete Nonacrius Aegla
 46 Arcadicae forma virginis incaluit.
 47 Quod si tecum isdem pariter versarer in arvis,
 48 et domus unanimes clauderet una duos,
 49 non ego caelicolum fraudes, non furta timerem :
 50 undique me socio, Gellia, tuta fores.
 51 Si versa est Daphne, Sicula Proserpina ab Aetna

52 si vecta est Stygiis in nova regna rotis,
 53 quid mirum ? Facile est deceptas fraude puellas
 54 fallere, nullius quas tueatur amor.
 55 Ipse ego perpetuo tecum mea vita manerem :
 56 sic possem nullos extimuisse deos.
 57 Saepe pererrabat tacitos Atalanta recessus :
 58 tuta tamen fido Mimalione fuit.
 59 Cingeret obsessos seu curva indagine colles,
 60 seu cuperet saevas cominus ire feras,
 61 haerebat lateri semper comes ille, nec unquam
 62 a domina lato longius ungue fuit.
 63 Ergo huic non summi fraudes nocuere Tonantis,
 64 inque suo nullos sensit amore dolos.
 65 Sic ego per silvas tecum et per prata vagarer :
 66 grata essent sine te gaudia nulla mihi.
 67 Nunc pariter nitida recubare juvaret in umbra,
 68 et capere in viridi somnia grata toro.
 69 Nunc pariter nuda fontes invadere sura,
 70 torrida dum siccus finderet arva canis.
 71 Saepius in silvis lepores captare fugaces,
 72 et volucres fictis fallere carminibus.
 73 Saepius in denso convicia dicere luco,
 74 et madidas verno flore ligare comas.
 75 Saepius umbroso choreas ductare sub antro,
 76 cum daret agrestes tibia pulsa sonos.
 77 Ah quoties tales inter, mea Gellia, lusus
 78 inicerem cupidas in tua colla manus,
 79 dulciaque e roseis furarer basia labris,
 80 basia mi cunctis anteferenda bonis.
 81 O niveam, siqua haec referet mihi gaudia, lucem !
 82 gratior optatis non erit ulla meis.
 83 Semper Erythraeis signabitur illa lapillis :
 84 semper erit sacros inter habenda dies.
 85 Nunc, quoniam tecum me non licet esse, caveto
 86 mutuus exstincto ne cadet igne calor.

IOLAS

L_27 v.1 Pascite, oves, teneras herbas per pabula laeta,
 2 pascite, nec plenis ignavae parcite campis :
 3 quantum vos tota minuetis luce, refectum
 4 fecundo tantum per noctem rore resurget :
 5 hinc dulci distenta tumescent ubera lacte,
 6 sufficientque simul fiscellae et mollibus agnis.
 7 Tu vero vigil atque canum fortissime Teucon,
 8 dum pascent illae late per prata, luporum
 9 incursus subitos saevasque averte rapinas.
 10 Interea hic ego muscoso prostratus in antro
 11 ipse meos solus mecum meditabor amores,
 12 atque animi curas dulci solabor avena.
 13 O formosa Amarylli, nihil te absente videtur
 14 dulce mihi : nunc et nitido vere omnia rident,
 15 et vario resonant volucrum nemora avia cantu ;
 16 exsultim virides ludunt armenta per herbas,
 17 lascivique agni, infirmisque artubus haedi

18 cornigeras matres per florida prata sequuntur.
19 Non tamen ista magis sine te mihi laeta videntur,
20 quam si tristis hiems, nimbisque rigentibus horrens
21 agglomeret gelido canas Aquilone pruinas.
22 Dulce apibus flores, rivi sitientibus herbis,
23 gramen ovi, caprae cytisus, Amaryllis Iolae.
24 Non ego opes mihi, non cursu praevertere ventos
25 optarim magis, aut pecoris quodcumque per orbem est,
26 quam te, Amarylli, meis vinctam retinere lacertis,
27 et tecum has inter vitam deducere silvas.
28 Est mihi praeruptis ingens sub rupibus antrum,
29 quod croceis hederæ circum sparsere corymbis,
30 vestibulumque ipsum silvestris obumbrat oliva :
31 hanc prope fons, lapide effusus qui desilit alto,
32 defertur rauco per levia saxa susurro.
33 Hinc late licet immensi vasta aequora ponti
34 despiciere, et longe venientes cernere fluctus.
35 Hoc mecum simul incoleres, Amarylli, simulque
36 mecum ageres primo pecudes in pascua sole,
37 mecum abeunte die pecudes cava in antra vocares.
38 Saepe etiam denso in nemore aut convalle virenti
39 dum tenue arguta modularer harundine carmen,
40 tu mecum ipsa esses simul, astaresque canenti,
41 quin et nunc pariter caneres, nunc dulcia nostro
42 basiaque et veneris misceres gaudia cantu.
43 O solum hoc, superi, misero concedite amanti !
44 Tum licet et rapiantur oves, rapiantur et agni,
45 ipse tamen Croeso mihi ditior esse videbor.
46 Mollibus in pratis Lycidae post Daphnidis hortos,
47 purpureos flores texenda inserta legebas,
48 cum te, succincta tunica fuisque capillis,
49 et vidi simul, et totis simul ossibus arsi.
50 Pone sequebatur Gorge soror, et tamen audax
51 accessi, sumque ipse meos tibi fassus amores.
52 Risisti, et sertum, nitida quod fronte gerebas,
53 tamquam ex se cecidisset humi, jecisti, abiensque
54 liquisti, advertens collegi protinus ipse :
55 servavique, et adhuc tamquam tua munera servo.
56 Et quamvis dudum foliis languentibus aret,
57 non tamen est sertum quidquam mihi carius illo.
58 Ex illo, semperque fui tibi deditus uni,
59 Pulchraque nulla meis oculis te praeter habetur.
60 Saepe mihi Alcippe vicina et munera misit,
61 et dixit : "Formose puer, quae munera mittit,
62 mittit et ipsum animum : tu et munera suscipe, et illum."
63 Sed potius, Amarylli, alio quam tangar amore,
64 sudabunt humiles flaventia mella genistae
65 et molles violae dura nascentur in orno,
66 incultique ferent candentia lilia vepres,
67 et maestis ululae cedet philomela querelis.
68 Quantum ver formosum hieme est jucundius atra,
69 quantum mite pirum sorbis est dulcius ipsis,
70 quantum hirsuta capella suo setosior haedo,
71 quantum nocturnis obscuri vesperis umbris
72 Puniceo exurgens aurora nitentior ortu est :
73 tantum, Amarylli, aliis mihi carior ipsa puellis.

74 Hae testes mihi sunt silvae, vicinaque silvis
 75 populus haec, cujus tale est in cortice carmen :
 76 "Vellera cum setis aries mutarit, et hircus
 77 velleribus setas, Amaryllida linquet Iolas."
 78 Sed nos dum longum canimus, jam roscida luna
 79 apparet caelo, et rapidus deferbuit ardor
 80 demerso jam sole : tamen miser ardet Iolas.
 81 Nimirum nostros nequeunt lenire calores
 82 nec quaecumque rigent Riphaeo in monte pruinae,
 83 nec quaecumque simul gelido durantur in Hebro :
 84 fors tamen hos illa ipsa, potest quae sola, levabit.
 85 Sperando interea duros solabimur ignes,
 86 at vos, ne sero dum nox insurgit Olympo,
 87 praesidio umbrarum fretus malus ingruat hostis,
 88 jam pasti segura, greges, in ovilia abite.

L_28 v.1 Quam tibi nunc Jani donamus, Hyella, calendis,
 2 exprimit haec vultus parva tabella meos.
 3 Nulla fuit cuiquam similis mage : pallet imago,
 4 assiduus nostro pallor in ore sedet.
 5 Est excors, sine corde et ego, quod pectore nostro
 6 ipse Amor ereptum sub tua jura dedit.
 7 Non loquitur, mihi sic tua cum datur ora tueri,
 8 torpet nescio quo lingua retenta metu.
 9 Unum dissimile est nobis : felicior uno est,
 10 tam saeva quod non uritur illa face.
 11 Quod si etiam uretur, tuo enim sub lumine quidquam
 12 illaesum flammis non licet ire tuis,
 13 non ut ego assiduo infelix torrebitur igne :
 14 in cinerem primo corruet illa foco.

L_29 v.1 Beate somne, nocte qui hesterni mihi
 2 tot attulisti gaudia,
 3 utinam deorum rector ille caelitum
 4 te e coetu eorum miserit,
 5 quae saepius mortalibus vera assolent
 6 mitti futuri nuntia.
 7 Tu, quae furenti surdior freto meas
 8 superba contemnit preces,
 9 facilem Neaeram praebuisti : quin mihi
 10 mille obtulit sponte oscula,
 11 oscula, quae Hymetti dulciora sint favis,
 12 quae suaviora nectare.
 13 Vere beate somne, quod si saepius
 14 his, dive, me afficias bonis,
 15 felicior caelestibus deis ero,
 16 summo nec inferior Jove.
 17 At tu, proterva, quolibet fuge, eripe
 18 complexibus te te meis :
 19 si somnus iste me frequens reviserit,
 20 tenebo te, invitam licet.
 21 Quin dura sis, sis quamlibet ferox : eris
 22 et mitis, et facilis tamen.

L_30 v.1 Canale optime, tuque Bembe, nostri
 2 amantissimi utrique, amati utrique
 3 a me non minus atque utrique ocelli,
 4 quid rerum geritis ? Valetis ? Atque
 5 absentis memores sodalis estis ?
 6 Quid vestrae faciunt bonae Camenae ?
 7 Scripseruntne aliquid novi meum post
 8 discessum ? Puto : namque quicquid oti
 9 per vestras datur occupationes,
 10 id vos in studiis bonis locatis.
 11 Ad me mittite siquid edidistis,
 12 oro, nec socium bonum negate
 13 vestri participem leporis esse.
 14 Sed quid cum Venere ipsa, amoribusque
 15 quam vobis bene convenit ? Caletis ?
 16 Amatisne ? Dei deaeque faxint
 17 et feliciter et bene ipsi ametis,
 18 quamque ego leviusque, leniusque.
 19 Heu heu me miserum, mei sodales,
 20 quam saevo teneor furore ! Quam mi
 21 totus, quam gravis incubat Cupido !
 22 Non quod non amer : intimis medullis
 23 ardet me mea Hyella, perditique,
 24 quantum quid pote perditissimum esse.
 25 Verum hoc me excruciat magis : potiri
 26 mea nam vetitum mihi puella.
 27 Quod si quando licet, nihil levatur,
 28 sed ferus magis excitatur ardor.
 29 Nam cum nec saturum recedat inde
 30 cor mi, nec furor expleatur unquam
 31 caris basiolis papillulisque,
 32 atque his, qui miserum necant, ocellis,
 33 augescit magis, et magis. Quid heu heu
 34 adverso paterer deo atque iniquo,
 35 si haec incommoda sunt secundo amore ?

L_31 v.1 Blanda o Naiadum cohors sororum,
 2 quae Vanci nitido latetis amne,
 3 fusae colla decentibus capillis,
 4 quos large ambrosii rigant liquores,
 5 comptae et carbaseo sinus amictu,
 6 exite e liquidis simul latebris,
 7 in vestros simul hic adeste lusus,
 8 quos large Zephyro favente tellus
 9 vernos florida suggerit per agros.
 10 En scandentibus hinc et hinc flagellis
 11 per flavas salicum comas pererrans
 12 vitis pampineas ministrat umbras,
 13 per quas sibila murmurantis aurae
 14 jucundum tenero strepunt susurro.
 15 Hic gemmantibus hinc et hinc rosetis
 16 cultas texere vos licet coronas,
 17 et passim simul omnium colorum
 18 lectos in calathis referre flores.

19 Queis comptas pariter comas revinctae,
 20 queis sparsae teretes simul papillas,
 21 ductetis pariter choros licentes,
 22 ductetis hilares simul choreas.
 23 Sed quid splendidius nitescit aer ?
 24 Quid fragrantius huc feruntur aerae ?
 25 Rident omnia, et aere in sereno
 26 spirarunt Cyprii, Syrique odores.
 27 Agnosco. Resonis strepunt querelis
 28 olores Paphii, Cupidinumque
 29 concussae ex humero sonant pharetrae.
 30 Ad flores properat suos Dione.
 31 Nunc vos Vanciades simul sorores
 32 instauratione choros licentiores.
 33 Et novae Venerem decent choreae,
 34 et chori Venerem licentiores.
 35 Huc mitis, dea, mitiorque semper
 36 adsis muneribus benigna nostris,
 37 quae versis tibi fundimus quasillis,
 38 quae pictis tibi teximus coronis.
 39 Incultis, face, Vancium rosetis
 40 Paestum vincere, floridumque Tibur.
 41 Haec non bruma rigens, calorque laedat,
 42 haec non flamina pestilentis Austri ;
 43 sed semper tibi cultius nitescant,
 44 sed semper genitalibus Favoni
 45 tua in munera mulceantur auris.

L_32 v.1 Quamvis te peream aequae, Hyella, totam,
 2 nec pars sit, mea lux, tui ulla, quae me
 3 saevo non penitus perurat igne,
 4 fulgentes tamen illi, amabilesque
 5 illi, sideribus pares ocelli
 6 nostri maxima causa sunt furoris.
 7 O cari nimis, o benigna ocelli,
 8 o dulci mihi melle dulciores,
 9 quando vos misero mihi licebit
 10 usque ad millia millies trecenta,
 11 aut ultra haec etiam, suaviari ?
 12 Di, concedite mi hoc misello amanti ;
 13 dein nil grave perpeti recuso :
 14 quin et si peream, lubens peribo.

L_33 v.1 Dispeream nisi tu vita mihi carior ipsa,
 2 atque anima, atque oculis es, mea Hyella, meis.
 3 Dispeream nisi ego vita tibi carior ipsa,
 4 atque anima, atque oculis sum, mea Hyella, tuis.
 5 Nec satis hoc : vellem pote quicquam his esset haberi
 6 carius, ut posses carior esse mihi.
 7 Tu quoque idem velles, pote quicquam his esset haberi
 8 carius, ut possem carior esse tibi.
 9 Di, facite haec longos concordia duret in annos,
 10 tamque bonos mutent saecula nulla animos.

L_34 v.1 Jam caeli reserat fores
 2 aurato e thalamo exiens
 3 mater Memnonis, et diem
 4 laeto provocat ore.
 5 Nos te maxime maximi
 6 minister canimus Patris,
 7 quo nullus, qui hominum genus
 8 tam praesens juvet, usquam est.
 9 Tu, nostras celer ad preces,
 10 aures protinus ad deum has
 11 defers, nec tenues sinis
 12 evanescere in auras.
 13 Tu, dum fers nova nuntia
 14 Virgini aetherio Patri
 15 dilectae, quibus indicas
 16 magni vota Tonantis,
 17 nobis fers nova nuntia,
 18 quis, e faucibus impii
 19 erepti hostis, in aurea
 20 Caeli templa vocamur.
 21 Adsis, o bone, et in dies
 22 semper nos propius juva,
 23 nec patrocinio tuo
 24 unquam mitte tueri.

L_35 v.1 Urbs, quam vetusto vectus ab Ilio
 2 post fata Troum tristia, post graves
 3 tot patriae exhaustos iniquo
 4 tempore, tot pelago labores,
 5 ducente demum Pallade, qua rapax
 6 cultos per agros Medoacus fluit,
 7 dis fretus Antenor secundis
 8 condidit, Euganeis in oris ;
 9 Tu, nuper et flos et decus urbium,
 10 quascumque tellus Itala continet,
 11 magnas tot artes, tot virorum
 12 ingenia, et studia una alebas.
 13 Te septicornis Danubii accola,
 14 te fulva potant flumina qui Tagi,
 15 longaque semoti Britanni
 16 cultum animi ad capiendum adibant.
 17 At nunc, acerbi heu saeva necessitas
 18 fati, severas ut pateris vices !
 19 Ut te ipse vastatam vel hosti
 20 conspicio miserandam iniquo !
 21 Quid culta tot pomaria conquerar ?
 22 Tot pulchra flammis hausta suburbia ?
 23 Quid glande deturbata ahena
 24 moenia, praecipitemque saevi
 25 Mavortis iram, bellaque persequar
 26 horrenda ? Squammis ille adamantinis,
 27 ferroque consertam rigenti
 28 induerat chlamydem trilicem.
 29 Fremensque, et atrum letifera manu

30 telum coruscans, secum odia, et necis
 31 contemptum, et insanos tumultus,
 32 secum animos, rabiemque agebat.
 33 Ille urbe ab imis sedibus eruta
 34 implesset omnes funeribus domos,
 35 non ille vel sexu, vel ullo
 36 efferus abstinuisset aevo.

L_36 v.1 Qui modo ingentes animo parabam,
 2 Bembe, bellorum strepitusque et arma
 3 scribere, hoc vix exiguo male audax
 4 carmine serpo.
 5 Nempe Amor magnos violentus ausus
 6 fregit iratus : velut hic Tonantem
 7 cogit et fulmen trifidum rubenti
 8 ponere dextra.
 9 Sic eat, fors et sua laus sequetur
 10 candidae vultus Lalages canentem et
 11 purius claro radiantis astro
 12 frontis honores.
 13 Nota Lesboae lyra blanda Sapphus,
 14 notus Alcaei Lycus, altiori
 15 scripserit quamvis animosum Homerus
 16 pectine Achillem.

L_37 v.1 Dia Tithoni senioris uxor,
 2 quae diem vultu radiante pandis,
 3 cum genas effers roseas rubenti
 4 praevia soli,
 5 roscidos ut nunc per agros vagari
 6 sub tuo adventu juvat, et recentis,
 7 quae tuos semper comitantur axes,
 8 excipere auras.
 9 Sicca jam saevus calor uret arva,
 10 jam vagi aurarum levium silescent
 11 spiritus, jam sol rapidus furentes
 12 exeret ignes.
 13 Dum licet, laeti simul ite, amantes,
 14 dum licet, molles pariter puellae
 15 ite, flaventes vario capillos
 16 nectite serpto.
 17 Nunc simul telis positus Amores
 18 matris haerentes lateri et decentes
 19 Gratiae plenos referunt resecto
 20 flore quasillos.
 21 Per feros saltus, per iniqua lustra,
 22 undique occultas agitans latebras,
 23 fertur, et silvas varia ferarum
 24 strage cruentat
 25 clara Latonae soboles : nitenti
 26 huic comae in nodum religantur auro,
 27 pendet aurata ex humeris pharetra :
 28 pendet et arcus.
 29 Circum eunt nymphae simul : illa cursu

30 gaudet effusos agitare cervos,
 31 hanc juvat certis jaculis fugaces
 32 figere lyncas.
 33 Nunc ab umbroso simul esculeto
 34 Daulias late queritur, querelas
 35 consonum circa nemus et jocosa
 36 reddit imago.

L_38 v.1 Nil tecum mihi jam Phoebe est, nil Nox mihi tecum,
 2 a vobis non est noxve, diesve mihi.
 3 Quantum ad me, ut libet auricomo Sol igneus axe
 4 exeat Eoae Tethyos e gremio,
 5 ut libet, inducat tacitas Nox atra tenebras :
 6 fert mihi noctem oculis, fert mihi Hyella diem.
 7 Nam quoties a me nitidos avertit ocellos,
 8 ipsa in luce etiam nox tenebrosa premit.
 9 At quoties in me nitidos convertit ocellos,
 10 candida et in media fit mihi nocte dies.

L_39 v.1 Iverat ad Phylirem media de nocte Menalcas,
 2 posset ut ad patrios mane redire greges.
 3 Jamque fores lento religatas vimine pressa
 4 suspensis manibus solverat ille anima.
 5 Prospectansque oculis semiaperta per ostia, limen
 6 protenso poterat transiliisse pede,
 7 cum sensere canes ; quo murmure victus, ut ira
 8 ardebat, tales jecit in astra sonos :
 9 "Cinge triumphali, puer o, tua tempora lauro,
 10 qui redis ad patrios tutus, ut ante, greges."

L_40 v.1 Danubii ad ripas primo rex flore juventae,
 2 caesus pro patria, cum patria hic jaceo.
 3 Nec queror, immiti quod sim prostratus ab hoste,
 4 sed quod me reges deseruere pii,
 5 qui, dum alia ex aliis inter se proelia miscent,
 6 et me et se rabidis hostibus obiciunt.

L_41 v.1 Diva, quae has caeli generatim in auras
 2 cuncta producis, cupidumque amorem
 3 undique infundens, facis ut perenne
 4 saecla propagent ;
 5 qua nihil laetum sine, amabile est nil
 6 nilque jucundum, sine qua nec ipsae
 7 gratae erunt cuiquam Charites, nec ipsa
 8 blanda voluptas ;
 9 dum tibi laetus reparatur orbis,
 10 dum per herbosos pecus omne campos
 11 vim tuam sentit, tibi plaudit omnis,
 12 diva, volucris ;
 13 dum nihil, quamvis rigidum, feroxque est,
 14 ossibus quod non penitus sub imis
 15 sit tua tactum face, quod tuos non
 16 sentiat ignes,

17 una erit flammaram et amoris expers ?
 18 Una secura his Lalage resistet ?
 19 Tange age ultrici, dea, pertinacem
 20 tange flagello.
 21 Quod si ita tanges, fera ut obstinatum
 22 applicet nostris animum querelis,
 23 nec preces ultra miseris superba
 24 negligat aure,
 25 conseram laetam tibi, diva, myrtum,
 26 Vancius qua se rosifer revolvit :
 27 hanc mero supplex, niveo et rigabo
 28 lacte quotannis.
 29 Hanc et immistae pueris puellae
 30 circum agent laetas pariter choreas,
 31 teque prima unam, simul ultima unam
 32 voce canent te.
 33 Te canent unam, volucremque natum
 34 qui ferox, duro et similis parenti,
 35 acer et flamma est, et agente certum
 36 cuspide vulnus.
 37 Spargam odoratas violas rosasque
 38 ipse ego, votique reus secabo
 39 grata torquatae ante tuas columbae
 40 guttura flammis.

L_42 v.1 Quid magis adversum bello est, bellique tumultu,
 2 quam Venus ? Ad teneros aptior illa jocos.
 3 Et tamen armatam hanc magni pinxere Lacones,
 4 imbellique data est bellica parma deae.
 5 Quippe erat id signum forti Lacedaemone natum
 6 saepe et femineum bella decere genus.
 7 Sic quoque, non quod sim pugna versatus in ulla,
 8 haec humeris pictor induit arma meis,
 9 verum hoc quod bello, hoc patriae quod tempore iniquo,
 10 ferre vel imbellem quemlibet arma decet.

L_43 v.1 Borgettus lepidus catellus ille,
 2 cujus blanditias proterviores
 3 et lusus herus ipse tantum amabat,
 4 quantum tale aliquid potest amari.
 5 Nec mirum : dominum suum ipse norat,
 6 caram bima velut puella matrem,
 7 et nunc illius in sinu latebat,
 8 nunc blande assiliebat huc et illuc
 9 ludens, atque avido appetebat ore.
 10 Erectis modo cruribus, bipesque,
 11 mensae astabat herili, heroque ab ipso
 12 latratu tenero cibum petebat.
 13 Nunc raptus rapido maloque fato,
 14 ad manes abiit tenebricosos.
 15 Miselle o canis, o miser catelle,
 16 nigras parvulus ut timebis umbras !
 17 Ut saepe et dominum tuum requires !
 18 Cui pro deliciis, jocisque longum

19 heu desiderium tui relinquis.

EX PHILEMONE

L_45 v.1 Siquid remedii lacrimae afferrent malis,
 2 minorque semper fieret lugenti dolor,
 3 auro parandae lacrimae nobis forent.
 4 Sed nil here istaec prosunt, res ipsae nihil
 5 moventur istis : sive tu semper fleas,
 6 seu nunquam, eandem pergere insistent viam.
 7 Quid his juvatur ergo ? Nil certe : at dolor,
 8 ut ipsa fructus arbor, sic lacrimas habet.

EX MENANDRO

L_46 v.1 Nam si te, alumne, genetrix cum peperit tua,
 2 hac sorte es unus omnium in lucem editus,
 3 tibi cuncta ut evenirent quae velles bona,
 4 idque annuit magnorum quispiam deum,
 5 jure optimo indignaris : valde enim is tibi
 6 fallax repertus. Quod, si eisdem legibus
 7 quibus nos omnes (tragicis ut verbis loquar)
 8 aequae patentem cunctis aerem trahis,
 9 ferenda sunt haec levius, et omnis rectius
 10 ratio habenda. Denique haec summa est : puta
 11 hominem esse te, quo nullum animantium omnium
 12 extolli, itemque deprimi citius solet.
 13 Ipsumque id haud injuria : minimarum enim
 14 id virium est, et maximis semper studet,
 15 plurimaque secum commoda conterit cadens.
 16 Tu vero et magna non amisisti bona,
 17 et mediocria sunt ipsa ea, quae pateris mala.
 18 Ergo et modeste, alumne, quod reliquum est feras.

L_47 v.1 Salve, cura deum, mundi felicior ora,
 2 formosae Veneris dulces salvete recessus :
 3 ut vos, post tantos animi mentisque labores,
 4 aspicio lustroque libens ! Ut munere vestro
 5 sollicitas toto depello e pectore curas !
 6 Non aliis Charites perfundunt candida lymphis
 7 corpora, non alios contexuntserta per agros.



NAUGERIUS (Andrea)

LUSUS (433 vers)

(carmina e quibusdam editionibus expurgata)

L_48 v.1 Vos mihi nunc magnos partus, ortusque beatos
 2 felicis pueri, quo pingua culta vetusti
 3 Naonis exsultant, quo Carnia tota superbit,
 4 dicite Pierides. Vos illum e matre cadentem
 5 exceptisque sinu, et vestris fovistis in ulnis,
 6 et teneram molli cinxistis baccare frontem.
 7 Nec vero vos tantum has accessistis ad oras,
 8 nec solae venistis ad haec vos munera musae :
 9 affuit ipsa etiam pariter, spargensque salubres
 10 pyxidos arcanae succos, partusque dolores
 11 leniit : et matrem fetu Lucina levavit.
 12 Affuit Idalio veniens e colle Dione,
 13 nectare odorato crines perfusa fluentes.
 14 Assuetaeque leves Charites ductare choreas.
 15 Hae simul ambrosia puerum lavere liquenti,
 16 et parvas tenui cunas stravere ligustro.
 17 Venit et undifluis properans Naucelus ab antris,
 18 quem prope caeruleo e fluctu formosa Metune
 19 ibat : eos circum violasque rosasque rubentes
 20 vimineis nymphae calathis, et sarta ferebant
 21 purpureo e narcisso, eque auricomo chrysantho.
 22 Quae postquam totas passim sparsere per aedes,
 23 jucundoque domus late fragravat odore,
 24 protinus ecce Jovis magni de limine parcae,
 25 antiquae parcae, niveo queis corpora amictu,
 26 canaque Chaonia velantur tempora quercu.
 27 Hae postquam et matrem complexae, et fronte serena
 28 oscula junxerunt parvo felicia nato,
 29 candida versato torquentes vellera fuso,
 30 fatidico tales funderunt pectore voces.
 31 "O fausto nimium caelo, divisque benignis,
 32 nate puer, cresce, et dulces solare parentes,
 33 et fatis laetare tuis. Tuque optima mater,
 34 tuque, boni genitor pueri, quos omine dextro
 35 castus hymen quondam thalamo sociavit in uno,
 36 accipite haec laetis animis, neu posse moveri
 37 credite quae vero concordēs ore canemus.
 38 Qualis in aprico se tollit amaracus horto,
 39 quam studio solers omni formosa puella
 40 ipsa suos alit in lusus, et lenibus undis
 41 irrigat, illa leves paulatim surgit in auras
 42 pulchrior, et dulcem late diffundit odorem.
 43 Sic puer augescens primo se tollet in aevo,
 44 nec se quisquam illi formoso conferet ore.
 45 Mox ubi jam validus teneris excesserit annis,
 46 tunc illum sacras artes, doctaeque docebunt
 47 Aonides, princepsque chori formosus Apollo.

48 Illi et divini latices Aganippidos undae,
49 et virides Haemi saltus, Pindique patebunt.
50 Mars quoque bellipotens simul, et Tritonia virgo
51 muneribus bellorum, et saevis instruet armis.
52 Doctior haud illo quisquam seu cominus ense,
53 seu sit opus valida concurrere longius hasta,
54 sive inflectere equum, atque arctis compescere habenis,
55 seu libeat laxare, et aperto currere campo.
56 O quoties medio ferventem in turbine belli
57 conversae fugient acies : at percitus ille
58 obvia quaeque metet infesto corpora ferro.
59 Non secus ac praeceps hiberno flumine torrens,
60 cum tumidus late, ac pluviis hiemalibus auctus
61 proruit adversas insano vortice silvas,
62 obstantesque trahit ripas, camposque per omnes
63 cum sonitu ruit, et rapido rotat omnia fluctu.
64 Fortunate puer, numquam non victor in hostem
65 bella gerens, magnique aequabis facta parentis.
66 Ille olim magnos Gallorum stravit acervos,
67 Italaque hostili manarunt arva cruore,
68 tum, cum caesa virum serpens per corpora Lyris
69 aequoreas cursum vix tandem invenit in undas.
70 Ille idem gelida cum gens immanis ab arcto
71 Ausonios passim se se effudisset in agros,
72 audaces animos ingenti strage repressit,
73 Alpinasque nives Germano sanguine tinxit.
74 Nunc quoque fallaces abrupto foedere Gallos
75 in Latios iterum fines, praedamque ruentes
76 proteret : et victos (divinis credite parcis)
77 Italia expellet : caeloque aequabit honores.
78 At tu siqua tuo restabunt bella parenti,
79 Ausoniam infenso nec dum pacarit ab hoste,
80 ipse tua fidens animi virtute subibis
81 haec primum : mox externas egressus in oras
82 implebis totum factis audacibus orbem.
83 Te duce et Ausoniae rursus rediviva resurget
84 gloria : et antiquum late victricibus armis
85 reddetur Latio imperium. Tua signa timebunt
86 una omnes passim populi, quaque incidit alto
87 aequore, et oceano ferventes abluit axes,
88 quaque coloratis effert se Phoebus ab Indis.
89 Tum demum placida contentus pace quiesces,
90 saevaque mitescet posito discordia ferro.
91 Aurea tum veniet saeculis melioribus aetas,
92 felicesque anni, et Saturnia regna redibunt.
93 Tum pax alma colet terras, Astraetaeque virgo,
94 immersumque gemet Stygio scelus omne baratro.
95 Felices, qui tam laeto nascentur in aevo.
96 Tu vero ante alias superis gratissima tellus,
97 quam tanto divum genitor dignatur alumno,
98 Tu nitidas passim fruges, arbustaque laeta,
99 sponte tua, nulloque hominum cogente labore
100 produces : humiles sudabunt mella genistae,
101 incultique ferent candentia lilia vepres."
102 Finierant Parcae. Tum Juppiter aethere ab alto
103 intonuit laevum : et caeli de parte serena

104 perspicuus multo fulgor cum lumine fulsit.

L_49 v.1 Dum caderent miserae Neptunia pergama Trojae
 2 et ruerent falsi Laomedontis opes,
 3 ostendit Phrygiae mediis in vallibus Idae
 4 Dardanidis certas aurea flamma vias.
 5 At tu, dum Naso silva foret abditus atra
 6 atque iterum in Scythicos pulsus ab Urbe locos,
 7 traxisti e tenebris vatem silvaque latentem
 8 qui duce te Latio clarius orbe micat.

L_50 v.1 Dum tibi dona parat, flavo dum vertice vellit
 2 nos Domina, atque ipsum hoc daedala texit opus
 3 flevit, et : "O, dixit, felices ite capilli !
 4 Cur mihi nunc crines non licet esse meos ? "

L_51 v.1 Borgetti hic tumulus Canis est : assiste, viator,
 2 mistaque purpureis lilia funde rosis.
 3 Hunc olim Eridani Melite formosa puellis
 4 munus ab Aeolio miserat usque freto.
 5 Protinus in parvum congesta electra monile
 6 cinxerunt nivei candida colla Canis,
 7 inde coronatae bene olenti flore sorores
 8 portarunt vati munera cara suo.
 9 Ante suos ille hunc semper dilexit ocellos
 10 et memor extincti nunc quoque nomine amat ;
 11 nec mirum est, habeant urbes cum nomina equorum,
 12 fidi etiam tumulum si meruere canes.
 13 Et domino fidum et lepidum, bellumque Catellum
 14 Borgettum, quo non blandior ullus erat,
 15 quocum animos oblectat erus, curasque levabat,
 16 eripere avida fata proterva manu ;
 17 eripere omnes una lususque jocosque,
 18 eripere ipsum deliciarum oculum.
 19 Ipse autem, desiderio dum maeret inani
 20 et queritur duris cuncta licere deis,
 21 ut quodcumque potest tenebroso vindicet Orco,
 22 aeternum et tumulo et carmine fecit erus.

L_52 v.1 Vatum pessimus omnium Secundus,
 2 felicissima Sirmio insularum est :
 3 hanc laudant numeris tamen trecentis
 4 vatum pessimus omnium Secundus :
 5 jam miserrima Sirmio insularum est.

L_53 v.1 Non ego sum pugnae assuetus nec fortibus armis,
 2 et tamen audaci pectore bella geram,
 3 confertas turbabo acies, densosque per hostes
 4 deferar, et praiceps in media arma ruam :
 5 vivere quippe aliis, Venetis ea denique vera
 6 vita est pro Patria decubuisse sua.

- L_54 v.1 Dum volui domini jussu perquirere silvas
 2 ut sequerer timidas cursibus ipse feras,
 3 fortia, me miserum, letali pectora saxo
 4 rustica percussit impia saeva manus.
 5 Me precor ut parvo referas, Francisce, sepulcro,
 6 ne mea sint rapidis viscera praeda lupis.
- L_55 v.1 Dum videt abscissae miles dispendia dextrae
 2 "Sufficiat bello laeva superstes", ait ;
 3 quam quoque ut injectat virtus animosa carinae
 4 sorte nec alterius territus ille pari est,
 5 Victor adhuc hostem impellens sic intonat ore :
 6 "Discite quos habeant Caesaris arma viros :
 7 nos freta, nos ferrum, nos temnere possumus ignes.
 8 Vincimus absque manu, vincimus absque anima".
- L_56 v.1 Siste gradum et sacrum hoc hospes venerare sepulcrum
 2 contegere huic Strozae est Herculis ossa datum.
 3 Ille quidem majora sui monumenta reliquit
 4 Aonidum et pennis docta per ora volat.
 5 Ipsa suo posuit conjux Taurilla dolori,
 6 ah misera in viduo sola relictata toro.
 7 Scilicet, ut vitae reliquum, quod vivet adempto
 8 conjuge, sit, lacrimas quo ferat illa pias.
 9 Postque diem extremum miseris ubi clausurit annos
 10 tunc saltem hic caro juncta sit usque viro.
- L_57 v.1 Decipitur quicumque hircum te dicit olere,
 2 Trissine : non tu hircum, te magis hircus olet.
- L_58 v.1 Accipe contempti supremum munus amantis
 2 Pieria de valle fluens ; ubi flebile carmen
 3 condimus, et nostri testis Parnasus amoris
 4 saepius audivit praerupta in rupe querelas,
 5 et lacrimis crevere meis Libethrides undae.
 6 Omnia jampridem miserae sunt conscia flammae :
 7 antra, nemus, cautes, Helicon, Cadmeia Dirce
 8 carminibus resonant nostris, et verba receptant.
 9 Quamquam dura silex docta nectatur ab arte,
 10 Tu tamen immites, Puer unice, despicias ignes,
 11 quaque tibi veniunt, mox aspernaris amores.
 12 O sylvis, o lacte puer nutrite ferino,
 13 tune illum patiere mori juvenilibus annis,
 14 qui te dilexit, qui te nunc diligit, et qui
 15 diliget infelix, tenues dum spiritus artus
 16 servabit, poteroque oculos spectare nitentes ?
 17 Ecce vides ut sim macie consumptus inertis,
 18 palleat et vultus, pectus quoque, squalida tangit
 19 ossa cutis : nullum est consumpto in corpore robur.
 20 Sanguis abit fortisque vigor, fugere colores ;

21 non oculi spectare diem, non sumere dulces
 22 ora cibos possunt, non mens cognoscere rerum
 23 naturam motusque potest, non cernere causas ;
 24 non jaculum torquere manus, nec tela, nec enses ;
 25 Aegidis impatiens pectus vix sustinet artus.
 26 Aequa mihi nox est, nostrum seu circuit orbem
 27 Phoebus, et oppositae seu praebet lumina genti.
 28 Tanti causa mali Venetus puer, incluta proles
 29 nobilis et sanguis, verum crudelior urso.
 30 Heu morior ! Siccis morientem spectat ocellis.
 31 Si facere hoc poteris, si tot patiere dolores,
 32 si facere hoc poteris, jam te genuere leones
 33 aut hominum crudele genus vel inhospita tellus,
 34 non pater e Latio est, Veneta non sanguis ab urbe,
 35 namque procul feritas, procul hinc crudelia facta ;
 36 hic posuit molles arcus pharetramque Cupido,
 37 deliciae Veneris miti dominantur in ora.
 38 Tu solus fera corda geris suffusaque fele
 39 pectora ubi fudit molles Venus aurea mores.
 40 O mea spes, mea lux, mea mens, mea vita, meum cor,
 41 respice me miserum finemque impone dolori :
 42 quod petimus brevis hora dabit, breve tempus amori
 43 sufficiet, dum pauca loquar, dum dulcia carpan
 44 oscula, dumque avidis tangam tua pectora palmis.
 45 Quod si forte neges, dabitur mora parva furori,
 46 dextera dum gladium morti vicina recludet
 47 et furibunda suum crudeli vulnere pectus
 48 transfiget coetque animam miserabile corpus
 49 deserere ; illa volans Stygias properabit ad undas.
 50 Credo equidem, ut ferus es, quod te nec dura movebunt
 51 fata, sed obsceno spargetur dextra cruore.
 52 Quid facis, infelix ? Veniet maturior aetas,
 53 qua totidem, quot ego patior, patiere dolores ;
 54 ludere tunc cupies animo, cum fugerit aetas.
 55 Tunc virides annos solitumque precabere robur,
 56 sed nulli revocare dies datur, idque quod olim
 57 praeteriit semper manet irrevocabile : perdes
 58 tu quoque (crede mihi) primae lanuginis annos.
 59 Propterea, dum fata sinunt, dum postulat aetas,
 60 dum tua labra rosas superant, dum lilia pectus,
 61 dum Ganymedeo certant tua tempora vultu,
 62 jungamus formose puer, jungamus amores.

L_59 v.1 Vos o vos Paphiae deae ministrae,
 2 quae cultos, Charites, amatis hortos,
 3 dum pictas modo teximus coronas
 4 et rosis bene olentibus litamus
 5 vos vestris pariter sacris adeste.
 6 Nos rosis bene olentibus litamus,
 7 vos hic ambrosiae liquentis undam,
 8 vos ferte Idalii liquoris haustus :
 9 his vos, his miserum rigate pectus,
 10 his pectus miserum, precor, rigate
 11 quod duris amor improbus sagittis
 12 quod torret face fervida Dione.

13 Sic cum continuis simul choreis
 14 fessae per teneras jacetis herbas
 15 vos aurae recreent recentiores.
 16 Sic cum in Aonio lavatis amne
 17 sint puro vada puriora vitro ;
 18 sic semper vario decora fetu
 19 vobis arva decentius nitescant
 20 nec mistae variantibus Cyperis
 21 pallentes violae rosaeque desint ;
 22 sic Syros oleant comae liquores
 23 semperque ambrosiam fragrent papillae.

L_60 v.1 Pulcher o sol qui nitidos dies et
 2 das et idem subtrahis atque terris
 3 humidam noctem et placidam quietem
 4 reddis avaris,
 5 aureis caput radiis refulgens
 6 prome quo tellus Cereris renidet
 7 munere et Bacchi ; decus o deorum
 8 pulchrior exi.
 9 Namque natalis dominae colendus
 10 advenit multis mihi sanctiorque
 11 quam meus qui principium bonorum est
 12 dulce meorum ;
 13 transeat clarus sine nube festus
 14 hic dies nobis, sileantque venti
 15 ponat et saevos placide tumultus
 16 unda marinos.
 17 Tu quoque exurgens manibus decoris
 18 finge odoratos, mea vita, crines
 19 sed prius pura gelidaque lympa
 20 discute somnum.
 21 Deinde, dum sertis domus et tapetis
 22 ridet ac laeti pueri et puellae
 23 cursitant, dulcem thalamum relinque
 24 cultaque prodi ;
 25 proderit tecum Venus et Cupido et
 26 Gratiae nexis manibus decorque
 27 cuncta componet venietque summa
 28 summus ab arce
 29 Jupiter castis precibus vocatus
 30 et tibi quaecumque petes benignus
 31 annuet. Nunc tu pete jam severo
 32 multa labello
 33 ut tibi duret stabilis juvena
 34 formaque et felix habeas quod optes
 35 vivat et multos tibi carus uni
 36 Trissinus annos
 37 et senectutem simul et quietum
 38 terminet tecum bene jam peractum
 39 aevum et ardentem sine fraude amorem
 40 saecula laudent.
 41 Spem bonam certamque habeo quod ista
 42 audiet divum pater et vocanti

43 rite tranquillus faciet quod ipsa
44 fata secudent.

L_61 v.1 Quid nam, pessima, quid fugis puella ?
2 Nostrae pondera num times columnae ?
3 An credor potius parum paratus
4 et parum tibi mentulatus esse.
5 Ne recte fuge, ne puella, ne ne !
6 Namque hic, qui tibi tantulus videtur
7 languens, pendulus atque araneosus,
8 idem, si digitis parum titilles,
9 cristatum caput exeret cucullo
10 tamque amplo pariter tumore crescet,
11 rectus turgidulusque ut esse nostri
12 jam pars non videatur hic, sed hujus
13 me possis potius putare partem.

L_62 v.1 Quo quo, blanda animi mei voluptas,
2 quo refers nitidos, Lycinna, vultus ?
3 Quo vultus nitidos refers, Lycinna ?
4 Succensesne mihi ? Dei volucris
5 iratas mihi sentiam sagittas,
6 iratam mihi sentiam Dionem
7 si prae te tetigit meum cubile,
8 si prae te ulla mihi, Lycinna, amata est.
9 Jam semel tibi me Venus dicavit,
10 dicarunt pueri truces pharetrae
11 et natus tibi me ipse et ipsa mater
12 vinxerunt gravibus simul catenis
13 et te plusquam oculos amavi amoque
14 et te plusquam oculos amo et amabo,
15 dum mors me in tenuem resolvat umbram.
16 At tu irata mihi reflectis ora
17 nec vis in prata basiem ocellos,
18 possunt qui in mediis diem tenebris,
19 possunt qui in medio die tenebras ;
20 nec vis, improba, ut haec labella sugam,
21 stillant quae Syrios mihi liquores,
22 stillant ambrosiam recensque nectar.
23 Si non vis neque basiabo ocellos,
24 si non vis neque jam labella sugam,
25 dum nec tu roseam, Lycinna, frontem
26 avertas mihi candidosque vultus ;
27 nil heu nil precibus meis movetur,
28 quin et perstat adhuc Lycinna ; quis nam
29 in me, quis rigido feratur ense ?
30 Fors tantos nece finiam dolores.
31 Sed jam maestae abeant procul querelae,
32 ira et bella valetate, pax adesto.
33 Jam pax est mihi cum mea puella
34 cur in me nitidos Lycinna vultus,
35 in me sidereos reflexa ocellos
36 longas post tenebras diem reduxit.
37 Sed quod nunc, mea vita, commoramur ?

38 Quin junctis simul artius labellis
 39 excursent tremulae per ora linguae
 40 et sonent querulae osculationes ?
 41 Tum morsus leniter genasque et ora
 42 collumque et teneras notent papillas.
 43 Hos inter teneros, Lycinna, lusus,
 44 inter illecebras proterviores
 45 et noctes simul et dies jubemur
 46 ductare. Hoc Paphiae imperant tabellae,
 47 sanxere hanc Charites amorque legem,
 48 hanc inter pariles Dione amantes
 49 quod cum nos pariles, Lycinna, amantes
 50 ambo amemus et una amemus ambo,
 51 servanda est caritas simulque amoris
 52 servanda et Veneris jubentis est lex.


L_63 v.1 Dum putri tegit arva fimo bene culta ligone
 2 simulus ut segetes laetius uber alat,
 3 suffitus pyrumve facit de merce Sabaea,
 4 naribus insinuet ne tibi taeter odor
 5 quos urbe ex multo pauperculus aere paravit
 6 dum facilem exoptant nunc sua vota diem
 7 nonnulli flores sat erant hunc vincere odorem
 8 quippe fimum hic positum tertia vidit hiems.

L_64 v.1 Fessus amor Baiis somnum dum captat et umbram
 2 ad murmur gelidae prosilientis aquae
 3 concurrisse ferunt Dryades et fontibus ipsis
 4 qua laesae fuerant occuluisse facem.
 5 Quis credat ? Subito mediis innascitur undis
 6 aestus et assiduo fervet ab igne liquor.
 7 Inde fluunt calidis haec semper balnea venis,
 8 flamma etenim gelidam vincit amoris aquam.

L_65 v.1 Conducens manibus brevem priapum
 2 tractabat roseus puer natesque
 3 nudabat gremio meo recumbens,
 4 dans mihi basia melle dulciora
 5 et pulchros leviter movens ocellos.
 6 "Jam pugnam Veneris sic ineamus"
 7 dixit et cruribus nitens caputque
 8 pronus excipere ille praeparabat
 9 vulnus, cum (o crudele fatum atque acerbum !)
 10 Quidam per rimulam postis videntes
 11 exclamant : "Facinus", simulque pulsant.
 12 Quid tum, quid faceret miser Priapus ?
 13 Nec sitim poterat suam replere,
 14 nec desiderium exstinguere potus.
 15 Jam culum puer ille subtrahebat
 16 maestus et niveas nates tegebat,
 17 eripi ut sibi quas cibum paratum
 18 Hellespontiacus deus resensit.
 19 Mollis, languidulus ruberque tanti

20 testem lacrimulam edidit doloris.

- L_66 v.1 Rhetoris aspicio nasum, Menippe, Carini ;
 2 ipsum etiam longe non reor esse procul.
 3 Quamquam etenim multo tractu spatioque feratur,
 4 non tamen est stadiis longior ille tribus.
 5 Quod si vicino hoc tollamur colle, videri
 6 a nobis forsitan rhetor et ipse queat.
- L_67 v.1 Gallum omnes uno astrologi tamquam ore canebant
 2 impleturum annis tempora longa suis.
 3 Ante diem solus periturum dixit Olympus,
 4 sed tum cum in medio jam foret ille rogo.
- L_68 v.1 Mentitur qui, Cadme, hircum te dicit olere :
 2 non tu, Cadme, hircum, te magis hircus olet.
- L_69 v.1 Esse atomos celeri tenuissima corpora motu,
 2 assidue immensum quae per inane meant,
 3 cunctarum hinc visum est Epicuro exordia rerum,
 4 hinc elementa orbi prima fuisse novo ;
 5 scilicet exiguum quoddam minimumque requirens,
 6 his minus ille atomis credidit esse nihil.
 7 Marce, atomis minor est multoque minutior ipsis
 8 exilisque magis quam levis umbra Lycus.
 9 Si visus foret hic Epicuro, hinc prima putasset
 10 principia, immensum hinc constituisset opus,
 11 ni potius rerum ille atomos primordia et ipsas
 12 e multis atomos crederet esse Lycis.
- L_70 v.1 Vicinos cantor Cyniras male perdidit omnes
 2 dum pernox tota nocte dieque canit.
 3 Quod solus tamen e cunctis evaserit Aulus,
 4 factum est naturae munere : surdus erat.



Portrait d'Andrea Navagero

par

Raphael